



**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibitent Benè Vivendi  
Et Benè Moriendi**

**Balde, Hendrik**

**Ipris, 1689**

77. Cap. Gratia, quâ perfecti evandere possumus, à plurimis negligitur.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](#)

## CAPVT LXXVII.

Gratia, quâ perfecti evadere possumus,  
à plurimis negligitur.

**G** Ratia, quâ nos ad perfectionem pro-  
vehere valemus, nobis nequaquam  
deest; sed plurimi desunt gratiæ, alteram-  
que post alteram infructuosè perire si-  
nunt, mediocri virtute contenti; ubi Deus  
ad sublimem perfectionis gradum illos  
perducere cupit.

Dicunt cum multis, ait Gerson, Suf-  
ficit mihi vita communis, nolo merita Apo-  
stolorum, nolo volare per summa.

Hoc sibi sufficere existimant, inquit S. Gre-  
gorius, quod pessimis antecedant.

Quisquis sic loquitur, eoque est animo;  
habet, quod metuat, ne tandem aliquan-  
dò in grave prolabatur crimen; nam ut  
rectè S. Augustinus (a) Si dixeris sufficit,  
perijisti.

Deus gratias suas denegare solet ijs,  
qui donis ejus abutuntur, & propriæ vo-  
luntatis impulsu identidem delinquunt;  
adèò ut Theologi Sanctique Patres doce-  
ant, peccatum subsequens antecedentis  
esse pœnam; propterea quòd homo per  
(a) Ser. 15 de verb. Apost. prius

prius peccatum singulari Dei auxilio se reddat indignum , quo destitutus in alia nova labitur ; quod neutquam accidisset , si primum peccatum studiose vitasset , aut exigua quedam bona opera , ad quæ à Deo excitabatur , exequi non neglexisset .

Huic veritati nihil prorsus opponi vallet , quandoquidem ipse *Spiritus Sanctus* dicat : *qui spernit modica , paulatim decideret & rursum , quia rapidus es , incipiam te emere ex ore meo.*

Multi non solum religiosi , verum etiam alij , qui olim erant pietate conspiciui , hac de causa turpiter ceciderunt , jamque in mundo , inter semipiterni iactus pericula , vitam agunt .

*Maledictus , qui facit opus Domini fraudulenter ; inquit Propheta Jeremias , vel ut alij legunt , negligenter .*

Quis hęc considerans totis artibus non contremiscat ? quis vel levissimas noxas summo studio non devitet ? Qui timet Deum , nihil negligit : inquit Sapiens .

Neminem Deus deserit , qui sincerè ei studet servire , aut nisi prius ab eo deseratur . Quò longius à te digressus fueris , eò propius ad Deum accedes . Age quod potes , poteris omnia ; cuncta relinque , ut cuncta invenias .